

SCHONLANDIA XI. NOVA TABVLA

DANIA habet nomen illud à rege quodam Dano uocato, complectiturq; Cimbricam Chersonesum sue Iutiam, quam uulgo Dietmarsen uocant, Fyonem, Selandiam, quã alij Sialandiam appellant, & multas alias insulas. Anno Christi 1398. subegit rex Danie imperio suo regnum Suecorum, & regnum Norduegie. Ciuitates insigniores Cimbrice sunt Slesuic, ubi aliquando fuit ducatus, Ripen sedes episcopalis, Vibergia, Harnusia, uulgo Oorß & Horsnesch. In Fyone, Ottonia uulgo Othonß, Melfhort, Nuenborg, Schwinborg. Habet autem hæc insula situm inter Cimbricam & Selandiam.

Selandie urbes precipue.  
Roschilt, episcopalis: Schlawolß, Hafnia, que uulgo Koppèhagen & Kopmanhafen id est, mercatorum portus uocatur. Ibi est regia sedes & studium uniuersale. In Norduegia, Nidrosia, uulgo Drunheim, et est metropolis omnium ecclesiarum Norduegie, Islandie & Gronlandie. Habet & has ciuitates episcopales Bergin, Staffanger, Asloiam & Hammariam. In Suetia, Stockholm regia, Vpsalia episcopalis & studio uniuersali decorata. Nicopia, uulgo Nicopinck, Vasteni, uulgo watzstein & wasteen &c. In Golhia, wardburg, Malmogia, portus & emporium, Calmaria urbs magna, Sudercopia emporium & portus &c.

